ta habemus: eius opera Græcè extant sci-
licet Confessio suæ fidei. Oratio aduer-
sus Latinos. De Spiritu sancto. De Azy-
mis. De igne purgatorio, de fructiōe san-
ctorum. De connubio sacerdotum. De
Triade. De Ieiunio ḡ. m. F.

✕ Athenagoras philosophus Christianus
scripsit de Resurrectione: liber impres-
sus est Græcè & Latinè: est etiam versio
Périonii m. qui etiam vertit eius au-
thoris legationem pro Christianis.
ḡ. m. F.

Attici Platonici πρὸς Αεισοτέλην Διηγεθέντα
Μωσῆ καὶ Πλάτωνι, liber Græcus ex-
tat m.

✕ Argyropuli solutiōes questionū Theo-
logicarū, & quod spiritus S. nō procedit

ex filio lib. ḡ. m̄. F.

Augustinus Iustinianus composuit Psalterium octaplum.

Augustinus Nymphus de demonibus libros .3. & de immortalitate animæ.

Aurelius Augustinus de immortalitate animæ, & alia eius opera.

Baptista Ficera de animæ immortalitate.

✕ Barlaam Monachus de Spiritu S. ḡ. m̄.

✕ Bessarionis Apologia contra obiecta Latinis. ḡ. m̄.

Bartholomei V vestemeri Conciliationes ac cōsensus sanctę scripturę, & patrum Orthodoxorum. impress. Tiguri, apud Andream Gesnerum, an. 1552.

Basilii magni opera Græcè & Latinè impress.

Ben Syræ Nepotis Hyeremiæ, sententiæ morales Hebraicè & Lat.

S. Bernardi opera impress.

✕ Beda multa scripsit. Cuius Comment. in 5. lib. Mosis impressit Mōtanus Antuerpiæ an. 1542.

Cæcilius Cypriani Africani Episcopi qui sub Valeriano & Galieno princip. vixit an. Domini 246. opera omnia excusa sunt ex emendatione Erasmi.

Cælii Secundi de animorum immortalitate lib.

Caniclei lib. de immortalitate animæ.

ḡ. m̄.

Cerealis Episcopi Africani lib. 1. aduersus Arrianos.

Christoduli monachi cōtra Iudæos serm.

9. ḡ. m̄.

✕ Clementis Præsulis Alexandrini, præceptoris Origenis, qui vixit sub Seuero, & Antonino, opera omnia quę extant: impressa sunt Græcè & Lat. interpret. Gëtiano Herueto Aurelio. Sunt autem liber adhortatorius aduersus gētes qui protrepticus inscribitur. Pædagogi lib. 3. Stromatōn siue Commentariorum multiplicis literaturæ ad instituendum Christianum philosophum li. 8. Omnia impressa sunt Florentiæ per Laurentium Torrentinum Latinè anno. 1551. Græcè anno. 1550.

Clemens Romanus Episcopus scripsit recognitionum lib. 10. qui interprete Rufinio Torano excusæ sunt.

Clemens Romanæ ecclesię à beato Petro quartus Episcopus scripsit. 55. Apostolorum Canones.

Cyrilli Episcopi Alexandrini opera Latinè impress. sunt, Græcè nondū omnia: in bibliotheca Regia asservantur lib. de fide, In Esaiam, Thesaurus, Contradictionum tomi 3.

Cyrmanoæ Calecæ lib. de Theologia. De spiritu S. ḡ. m̄.

Cyri historia Ecclesiastica ḡ. m̄.

R. Davidis Kimbi ex Rabinis Hebræorum Commentaria in Vetus testamentum.

Desiderii Erasmi opera Theologica.

✕ Diadochi Episcopi argumenta diuersa Ecclesiastica ḡ. m̄. F.

Demetrii Tornici de spiritu Sancto liber, ḡ. m̄. F.

Didymus Alexādrinus scripsit de spiritu S. lib. 1. quē D. Hieronymus Latinè vertit vixit an. Domini 395.

Dionysius Areopagita de Hierarchia Græcè impres. cum commentariis Græcis & versione Agricolæ.

✕ Dorotheus scripsit serm. Et lib. quomodo apostolorum vnusquisque mortuus sit ḡ. m̄. F.

✕ Dionysii Carthusiani lib. De perfecto mundi contemptu & alia opuscula, impress.

press. Coloniae an. 1540. per Melchior-
rem Nouesianum, quædam etiam Ant-
uerpiæ.

Epiphaniï opera impressa sunt ḡ. Corna-
rio interprete.

Erasmi Sarcerii opera in nouum testa-
mentum.

Eusebius Cæsareę Palestinæ Episcop. mul-
ta scripsit, quorum maxima pars Græcè
& Latinè impress. est: interpretibus Tra-
pezuntio, Zenobio Acciolo, & Vuol-
fango Musculo. Vixit sub Constantino
imperatore. Eius interpretatio locorū,
nominum sacrae scripturę, & nominum
Hebræorum asseruatur ḡ. m. F.

✕ Euthymius Monachus in Psalmos. E-
iusdem de Hæresibus lib. ḡ. m. F.

✕ Eustathii aliàs Eustrathii & Arsenici
Syllogismi de spiritu S. ḡ. m.

✕ Abba. Ephraim Sermo de Meretrice.
Et opusculum ad Monachos quomodo
ad Deum accedendum sit media de no-
te ḡ. m. F.

Faustus Monachus scripsit de ratione fi-
dei.

Franciscus Vatablus Annotationes in
Biblia.

Fulgētius Episcopus Africanus, vixit anno Domini 500. eius opera Theologica impress.

Gelasius Papa primus Afer, scripsit in Eutychem & Nestorium, vixit anno domini 496.

Gennadius Masyliensis de Illustribus viris Ecclesiasticis.

Gennadius Patriarcha Synodos. Interp. Oecolampadius.

✕ Gennadius Scholarius Constantinop. Patriarcha, scripsit Refutationem erroris Iudaici: & lib. De fide, in formā Dialogi ḡ. m. F.

Gennadii Scholarii liber de Dei Cultu. ḡ. m.

Georgii Constantini de Sapientia liber. ḡ. m.

✕ Georgii Camariotę Encomium in tres Hierarchas: Basilium, Gregorium & Chrysoft. lib. ḡ. m. F.

Georgii Gemisti de Spiritu S. lib. ḡ. m.

Georgii Panemphemi, Præfeti Africæ, de Asceteria quæ ab Ecclesia Catholica defecerat lib. ḡ. m.

Georgii Vvicelii opera.

✕ Germani Archiepiscopi Constantini Encomium

- Encomium Deiparæ ḡ. m. F.
- Gregorii Nazianzeni Episcopi opera omnia quæ extant Græcè & Latinè, impr. sunt. vixit an. Domini 390.
- ✕ Gregorii Theologi Sermo in testimonium Sanctæ Resurrectionis liber. ḡ. m. F.
- ✕ Gregorii Nissæ oratio contra Eunomium ḡ. m. F.
- Gregorius Nyssenus Episcop. frater Basilii Cæsariensis scripsit de homine lib. 8. & alia multa quæ partim Græcè & Latinè impressa sunt, partim asservantur: vixit an. Domini 130.
- Gregorii Thaumaturgi de anima lib. m.
- Henrici Bullingeri opera.
- Hermani Bodii unio dissidentium locorum sacræ scripturæ.
- Hermas, cuius D. Paulus ad Rom. meminit dicitur esse author libri qui appellatur Pastor.
- ✕ Hermetis Sozomeni Ecclesiasticæ historiæ tomus 8. ḡ. m. F.
- ✕ Hesychie presbyteri Commentaria in Leuiticum impr. Eius verò Orationes, liber de quiete animæ & corporis, lib. de oratione ḡ. m. F.

Hieronymi Cardani lib. de animæ immortalitate.

✕ Hieronymi Fossennini aduersus hæreses lib. 3. impr. Taurini.

Hieronymi Stridonensis opera.

Hilarii Episcopi Latina opera, claruit sub Valentiano an. Domini 1371.

Hippoliti Papæ R. Comment. in Apocalypsim ḡ. m̄.

Hippoliti Thebani de cognatione Christi lib. ḡ. m̄.

Honorius Augustodunēsis Ecclesiæ Presbyter, scripsit, de Christo & Ecclesia, aliâque permulta quæ impr.

Hugo Barchinonensis Comment. in vetus Testamentum.

Hugo Eterianus Anglus de regressu animarum ab inferis & de spiritu S.

Hugonis Presbyteri opera.

Huldreichus Zuinglius in Prophetas, in Euangelia.

Iacobi Monachi sermones ḡ. m̄.

Iâblichus de Mysteriis Ægyptiorū ḡ. m̄. Latinè impr. interpr. Fiscino.

Ignatii Antiochiæ 3. post D. Petrū Episcopi, qui sub Traiano damnatus est ad bestias Epistolæ xj. impr.

Innocen-

Innocentii Papæ, de sacro altaris myste-
rio lib. 6.

Ioachimi Vadiani Aphorismi Theolo-
gici.

Ioannis Æpini lib. de sacris concionibus
formandis.

Ioannis Arborei Theosophiæ tomus 2.

Ioannis Beccii Collectio locorum scrip-
turæ ḡ. m̄.

✕ Iacobi Hieronymi Carthusii festę con-
ciones: impressit Parisiis Cheualonius
an. 1538.

Ioannes Brentius in vetus Testamentum,
in Catechismum & alia multa.

Ioannis Caluini opera.

✕ Ioannis Carpathii capita quędam Ec-
clesiastica & ad monachos reuersos ex
India ḡ. m̄.

✕ Ioannis Cytri lib. contra dogmata La-
tinorum ḡ. m̄.

✕ Ioannis Fabri ad Haibrū Enchiridion
Bibliorum impressit Augustæ Rheticę
Vlhardus an. 1549.

✕ Ioannis Leonardi Tabularum dua-
rum legis Euangelicę, Gratię, Spiri-
tus, & vitę libri 5. impress. Basil. anno
1553.

- X Ioannis Chrysoſtomi Archiepiſcopi
 Cōſtantinop. opera, bona ex parte Græ-
 cè impr. ſunt, Latinè vero fermè omnia
 quinque tomis Ioanne CheKo, Vvol-
 phgāgo aliſq; interpret. Vixit an. Do-
 mini 411. Eius opera quæ Græcè aſſer-
 uātur in bibliotheca regia, ſunt de ani-
 ma, Homiliæ in Genefim 30. De ſacer-
 dotio orationes 6. Item aliæ Homiliæ
 in Genefim. Sermones qui dicūtur Mar-
 garitę, Homilię quæ dicūtur *ἀνδραγαθῶν*.
 Homilię in Euangelia. Interpretatio in
 Mattheū. Epiftola ad Cyriacū Epifcop.
 Interpretatio in Eſaiam, in Epiftolā ad
 Corinthios, Orationes 6. in Iudeos: ora-
 tiones de adoratione Crucis, de Pœni-
 tētia ſermo, De Ieiunio, Sermo de Ficu-
 arida, de Eleemoſyna, de proditione
 ſermo, De Cruce, & latrone. Oratio Pa-
 rænetica ad Theodorum Epifcopum.
 Ioannis Epifcopi Cōſtantinop. cōmen-
 taria in D. Pauli Epift. Mutiano Scho-
 laſtico interpr.
 Ioannis Eccii Sueui opera contra Luthe-
 ranos.
 Ioan. Franciſci Pici Mirandulę de veritate
 chriſtiana aduerſus gentes lib. 6.

Ioan. Gaſtius ſcripſit D. Hieronymi Epi-
tomen.

Ioan. Grammaticus Alexãdrinus aduer-
ſus Procli Diadochi de mundi ęternita-
te ſermones 18. totidemque ſcripſit ſo-
lutionum libros: impreſſi ſunt Græcè.
Eccleſię tamẽ Doctores (inquit Suidas)
eum reiiciunt & Orthodoxorum Cata-
logo non dignantur.

Ioan. Hofmeiſter loci Communes.

Ioan. Huſſ. opera.

Ioan. Loniceri Catecheſis de cultu San-
ctorum.

Ioan. Mentelli de perpetua doctrina re-
gni Chriſti.

Ioan. Monachi Damasceni lib. de Ortho-
doxa fide, & de his qui ĩ fide dormierũt,
& quomodo ſacrificiis, ac eleemoſynis
pro ſe factis adiuuentur Græcè impr.
& Latinè Fabro Stapulenſi interprete: &
eiuſdem lib. de reſurrectione & paradi-
ſo Græcè impr. extant alia opera multa
g. m. Vixit an. Domini 390.

✕ Ioannis Monachi Zonaræ interpre-
tatio ſacrorum Canonum & Synodo-
rum g. m.

✕ Ioannis ex Monachis (vt creditur Si-

- nai, sermones exercitatorii ḡ. m̄.
 ✕ Ioannis Metropolitanæ Rosiæ ad Clementem Papam Rom. Epist. ḡ. m̄. F.
 Ioan. Nicæni lib. de rebus fidei ḡ. m̄.
 Ioan. Oecolampadii opera.
 Ioan. Pechani Collectaneum Bibliorum.
 ✕ Ioan. Papæ Romani Epistola ad Phorium Patriarcham Constantinopolitanum ḡ. m̄. F.
 Ioan. Plilonii Christianarum institutionum lib. 4.
 Ioan. Pici Mirandulæ Heptaplus de opere sex dierum Geneseos.
 Ioan. Piscatorii Epitome Augustini.
 Ioannis Puperi liber, de libertate Christiana.
 Ioannis Reuchlini de verbo mirifico libri 3.
 Ioannis Riuii de instaurata, renouatâque doctrina ecclesiastica. De Consilio dei lib. 3.
 Ioannis cuiusdam philosophi Theologiæ Compendium ḡ. m̄.
 Ioannis Trithemii Catalogus scriptorum Ecclesiasticorum.
 ✕ Ioannis Tauernerii librum de veritate corporis & sanguinis Christi in sacramento

mento altaris impr. Parisiis Gautherot
an. Domini 1549.

Iodoci Clitouei Propugnaculū fidei con-
tra Lutheranos.

Ioseph quidam scripsit Hebraicè Icarim,
id est, fundamētorum, seu articulorum
fidei librum.

Ireneus Lugdunensis Episcopus scripsit
aduersus gentes lib. i. & aduersus Hæ-
reses lib. 5.

Isaac Monachus ἀσκητικούς λόγους. extant
ḡ. m̄.

Isidorus Thessalonicus Episcop. Com-
mentaria edidit in Euangelium. S. Lu-
cæ ḡ. m̄.

Iulianus Episcopus Toletanus composuit
Prognosticon futuri seculi quod im-
pressum est.

Iulianus Pomerius, contra Iudæos li-
bros 3.

Iunilius Episcopus Affer Comment. in
Genesim.

Iustini philosophi & martyris opera om-
nia Græcè impr. sunt, quæ scripsit ad-
uersus gentes pro defensione fidei no-
stræ. Eadem & Latinè impr. Pico Mirā-
dula, Gelenio, & Perionio interprete.

Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis
in D. Pauli Epist. Comment.

✕ Leonhardi Culmāni Conciones sacræ
ac variæ prædicandorum Euāgeliorum
quæ diebus Dominicis & festis legi so-
lent formulæ, impress. Norimbergæ in
officina Ioan. Montani anno Domini
1551.

R. Leui. Ben Gerson cōposuit Hebraicos
Commentarios in Vetus testamentum.

Lippus Brandolinus Paradoxa Chri-
stiana.

Lucæ Monachi extant Commentaria in
Euangelia ḡ. m̄.

Lucę Lofsii Annotationes in Euangelia.

L. Cœli Lactantii Firmiani diuinæ Insti-
tutiones.

✕ Lazari Metropolitæ Larissæ Epistola.
ḡ. m̄.

Macarii Mutii Camertis lib. De Crucis
victoria.

✕ Macaritæ Metropolitæ Nicęæ contra
Iudeos orationes. vj. ḡ. m̄. F.

Macarii Ægyptii Homiliæ spirituales.
50. ḡ. m̄.

Mahomet, aliās Machumet Alcoranus a-
rabicè & Lat. cum refutationibus.

✕ Manuc-

- ✕ Manuelis Christonomi oratio demonstratiua quod Deipara magis honoranda sit quàm Cherubim ḡ. m. F.
- ✕ Manuelis Magni Rhetoris Constantinopolitanæ Ecclesiæ de Purgatorio igne. Oratio & Apologia aduersus eos qui asserunt Iudaismum consistere in seruandis antiquæ legis præceptis. Eiusdem versus Heroici de Iesu Christo, & ipsius patre, & de Deipara, & Ioan. præcursore lib. ḡ. m.
- ✕ Marci Ephesi lib. cõtra Latinos de fruitione sanctorum, quòd sancti nec damnati adhuc receperunt integrum præmium. Aduersus commentum, de igne purgatorio lib. 2. Homiliæ, & respõsiones Cardinalibus. Quod oratione & benedictione sacerdotis spiritus S. virtute diuina dona sacrentur. Hęc omnia asseruãtur Græcè in bibliotheca Regia. Præterea antiquæ Romæ & nouæ comparatio.
- ✕ D. Marci lib. de Pœnitentia ḡ. m. F.
- ✕ Ab. Marci lib. De Paradiso & lege paterna. Responso ad dubitantes de Baptismate & alia opuscula ḡ. m. F.
- ✕ Marci Heremita capitulo de lege spirita-

- li interprete Obsopæo.
- Marci Marulli Euangelistarium lib. 7.
- Marii Victorini D. Hieronymi præceptoris contra Arrianos lib. 2. & Hymni.
- Marsilii Ficini Florentini Theologia naturalis.
- D. Martialis Apostoli ad Burdegalenses Epistola.
- Martini Borrhai, aliâs Cellarii de operibus Dei lib. & axiomata scripturæ sacræ.
- Martini Bucerii opera.
- Martini Lutheri opera 3. tomis.
- Matthias Flaccius Illyricus scripsit cōtra Christi persecutores.
- ✕ Matthæus Monachus aduersus Iudæos orationes 5. & lib. Quid velit coctum appositum frumentum in monumentis Choo, & in sacris Sanctorum. ḡ. m. F.
- Maurus de fide Christiana lib. 4. ad Ludouicum primum imperatorem m̄.
- ✕ Maximi Epistola ad Marinum Cypri sacerdotem ḡ. m. F.
- Maximi philosophi Alexandrini opera. ḡ. m.
- Abba Maximi Confessoris lib. de Charitate

- tate Græcè impr. & Lat.
- Meletii Monachi pro Christiana Religione, aduersus Sarracenos Apologia 4. g.
- Mercurii Trismegisti Pymæder de Sapiētia & potestate Dei. Et Asclepius de voluntate Dialogi Græci m. habētur Lat. versi à Marsilio Fiscino & Apuleio.
- ✕ B. Methodii liber de creatione mundi, & reuelationibus in carcere, de nouissimis impressus est, extant eiusdem alia g. m. F. vt λογος εις τα βαία.
- ✕ Metrophanis Smyrnei lib. de spiritu S. g. m. & expositione fidei g. m. F.
- Michaël Buchingerus scripsit contra Lutheranos.
- Michaëlis Serueti Hispani impr. sunt, lib. 7. de Trinitatis erroribus.
- ✕ Michaëlis Pselli Comment. in Cantica Cantorum g. m. F.
- Michaëlis Syngeli lib. de Orthodoxa fide g.
- R. Mosis Commentarii Hebræi duobus voluminibus.
- R. Mose filii Maimon 13. articuli fidei & Directorium Theologiæ Hebraicè & Latinè.

R. Mose filii Nahaman Comment. in
Iob.

✕ Michaëlis Vehe pro missa lib. Et asser-
tiones sacrorum Axiomatum. Lipsiæ
impress. apud Michaëlem Blum anno
1535.

Nestorei Blasphemix, id est 12. Anathe-
mata quæ totidem Cyrilli Alexandrini
Anathematismis opponuntur.

Nicephori Archiepiscopi Constantinop.
de fide libr. 2. g. m. F. & contra Here-
ses lib.

✕ Nicetæ interpr. in orationes Gregorii
Nazianzeni g. m. F.

Nicetæ Bizantii philosophi liber contra
Moameth. Eiusdem demōstratio Chri-
stiani Dogmatis g. m.

Nicetę Mersiniotę de S. Spiritus progres-
sione g. m.

Nicetæ Monachi lib. cōtra Blasphemiam
Armeniorum m.

Nicodemus descripsit gesta D. nostri Iesu
Christi, quæ inuenit Theodosius Ma-
gnus imperat. Ierusalem in Prętorio Pi-
lati. Ex Hebraica lingua translata sunt
& excusa.

Nicolaus Cabasilas scripsit de vita Chri-
sti &

fti & alia multa nondum excuffa.

Nicolaus Clemangis Archidiaconus Ba-
iocenfis. De corrupto Ecclefiæ ftatu.

S. Nicolai epifcopi lib. de fancto Spiritu.
g. m.

S. Nili orationes monafticæ & alia opuf-
cula g. m.

✕ Nili Monachi lib. contra negantes spi-
ritum S. non folùm ex patre procedere,
de Damafco papa R. Et quòd vetus Ro-
ma vſque ad Chriſtophorũ papã, cum
nova in fide cõſenſerit. De Cõcilio ha-
bito ſub Photio patriarcha contra Ni-
colaũ Papam. Quomodo vetus Roma
ab aliis eccleſiis ſeceſſerit. Omnia Græ-
cè m. in bibliotheca Regia F.

✕ Nicephori Chimni orationes in Me-
tamorphoſim Chriſti. De feſto lib.
g. m. F.

✕ P. Nonni collectio & expositio Histo-
riarum ex Gregorio g. m. F.

✕ Origenis Adamantii Martyris filii, o-
pera duobus tomis Latinè impr. ſunt af-
feruantur in Bibliotheca Regia g. m. in
Ioannis Euangelium tomi 32. In Mat-
thæum tomi 5. Eiuſdem philocalia. Cõ-
tra Marcianiftas lib. de recta fide in

- Deū. Interpretatio in Iob. Contra Celfum tomī 8.
- ✕ Occumeni Commētaria in Acta Apostolorum. In S. Pauli Epistolas impressa sunt, Græcè & Lat. interpret. Lonicerō & Maximo Florentino.
- Olympiodori Scholia in Ecclesiasticem excusa Græcè & Latinè interpret. Acciaiolo.
- Olympiodori Diaconi Hypotheses, in Iob ḡ. m̄.
- Onkelos, vel Ankelos scripsit Targum vel interpretationē Syriacam quinque librorum Moſis.
- Othonis Abbatis de Institutione diuina libri 6.
- Othonis Brunfelsii Maguntini Cōment. in 4. Euangelia, Et Acta. Eiusdem loci Communes. Pandectæ veteris instrumenti & noui secundum locos & alia multa omnia impr.
- ✕ Palladius Episcopus scripsit in vitas sanctorum lib. ḡ. m̄. F.
- ✕ Panthaleon Magnæ Dei Ecclesię Diaconus sermones de Domino nostro Iesu Christo, & S. Ioã. præcurfore. Et narrationē in miracula archiducis Michaëlis ḡ. m̄. F.

- Pascasius Romanæ Ecclesiæ Diaconus scripsit de spiritu S. lib. 2.
- Patricius Cocburnius Scotus orationem de vtilitate & excellentia verbi Dei.
- Paulus Constantinus Phrygio in Micheã prophetam, Exodum, Leuiticum.
- Paulus Constantinopolitanus sermones ̄. m.
- Paulus de Heredia Hispan. ex Iudæo Christianus de mysteriis fidei.
- Paulus Ricius de Cęlesti agricultura li. 4.
- ✕ Petri Epistola ad Iacobum Episcopum Hierosolymorum ̄. m. F.
- D. Petri Alexandrini Episcopi Martyris impr. sunt, Canones de Pœnitentia.
- Petri Patriarchæ sermones ̄. m.
- Petri Galatini lib. de Archanis Catholicę veritatis.
- Petrus Ioan. Oliuarius scripsit, de Spiritu Prophetico.
- ✕ Petrus Latinus de spiritu S. ̄. m. F.
- ✕ Petrus Martyr Florétinus Comment. edidit in Epistolam D. Pauli ad Corinthios. De Sacramento Eucharistię Disputationes aduersus Papistas. Gatechismum, omnia impressa sunt. In Prophetas Commentaria m.

Petri Trecensis historia Ecclesiastica nō-
dum impressa.

✕ Petri Vireti impr. Christiani Dialogi
6. De origine veteris Idolatriæ l. 5. quæ
Imagines veræ aut falsæ sint.

Philippi Melächthonis Commēt. in Ge-
nesim, Prouerbia, Psalmos, in Epistol.
ad Romanos. Præterea loci Commu-
nes.

✕ Philonis opera omnia Græcè Parisiis
impr. sunt, cum præfatione viri in orbe
literaturæ absolutissimi, Adriani Tor-
nebi in Græcis literis Lectoris Regii,
qui ea ex tenebris eruit, castigauit, at-
que Characteribus elegantissimis im-
primi curauit.

Philostorgii Arriani Ecclesiasticę historię
quædam supersunt ḡ. m̄.

Philothei Irenęi Aphorismi ex Orthodo-
xis patribus.

Philothei Patriarchæ Cōstantinop. Theo-
logica ḡ. m̄.

Phothii Patriarchæ Constantinop. liber
quòd Spiritus Sanctus, ex patre procedat
ḡ. m̄.

Polycarpi Martyris. S. Ioan. apostoli disci-
puli epistola . ḡ. m̄.

Primasii Episcopi Africani S. Augustini discipuli Comment. in S. Pauli Epist. & in Apocalypsim lib. 5. hæc impr. alia. m. habentur.

✕ Prochori lib. de luce in Monte Thabor g. m. F.

Procli Constantinopolitani Episc. Epistola de fide Græcè & Lat. impr.

Prosperi Reginensis Episcopi Theologica quædam.

Pyamonis Collatio, de tribus antiquis Monachorum generibus, & quarto nuper exorto.

Quinti Septimii Florëtis Tertuliani Carthaginensis, opera omnia quæ extant impressa.

Rabani Mauri Comment. in Pentateuchum, Genesim, Exodum, & alia impress.

Rabanus composuit de Sacramento Eucharistiæ.

Radulphus Flauiacensis in Leuiticum.

Raymundus Sebeid de Theologia naturali.

✕ Reinhardus Hadamarus edidit Quæstiones sacras, & alia quædã huius argumenti quæ impr. Frâconiæ Egenolphus.

Rupertus Abbas in Prophetas lib. 32. in
Euangelia & alia multa.

✕ Roberti Stephani ad Censuras Theologorum Parisiensium, qui Biblia ab eo excussa notarunt, respōsio impr. ex eius officina an. 1552.

✕ Rodolphi Gualtheri in Ioan. apostoli Epist. Homiliæ 37. & in duas eiusdē B. Apostoli posteriores epist. Homiliarum Syluę impr. Tiguri in officina Froshoueri an. 1553.

Rabbi Sahadias Geon Cōment. Hebræa in Daniele.

R. Salomonis Iarchi Galli in libros veteris testamenti Comment. Hebraica.

D. Salonii Episcopi Comment. in Salomonem.

Saluiani Massiliēsis Episcopi de vero iudicio Dei & prouidentia lib. 8.

Samuēlis Iudæi epistola ad Rabbi Isaac Synagogæ magistrum missa, anno post Christum natum millesimo, de Iudæorum vana expectatione Messiam expectantium.

Santis Pagnini Isagoge ad mysteria sacre scripturæ.

Sasgeri lib. de libero arbitrio.

Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani responsio, de Christiana fide.

g. m.

Sebastiani Munsteri versio Bibliorū cum textu Hebræo.

Sebastiani Castalionis Bibliorum Latina versio.

Sebastiani Meyer Comment. in Apocalypsim.

✕ Sedulii Scoti in omnes D. Pauli Epistol. annotationes, Basileę impr. Henricus Petrus.

Sergii Monachi sermones Græci extant.

Seuerianus Gabalensis commentatus est in Genesim.

Simon de Cassia scripsit de gestis Seruatoris nostri. Et in 4. Euangelia lib. 15.

Simon Grynæus in Epistol. ad Romanos m.

Socratis Græci Historiã Ecclesiasticã impr. R. Stephanus.

✕ Sophronii Patriarchæ lib. de adoratione Crucis g. m. F.

Sozomeni Græci Historiæ Ecclesiasticæ lib. 9. impr. R. Stephanus.

R. Symeonis Ben Ioachim Commētariū
Hebraici in Esdram, Necmiam, & Pa-
ralipomenōn.

✕ Symeonis recentis Theologi, de dif-
ferentia τῶν πρῶτων καὶ δευτέρων lib.
ḡ. m̄. F.

Symeon Constantinopolitanus cōposuit
sanctorum vitas ḡ. m̄.

Symeonis Mesopotamiæ sermo extremū
vitæ diem reputare oportere ḡ. m̄.

S. Symeonis de oratione, siue de 3. modis
orandi ḡ. m̄.

Symeonis Xeroceri principis Theologi-
ca quædam ḡ. m̄.

Synesii lib. de prouidentia impress. & de
fide ḡ. m̄.

✕ Thalassii Libyci de Charitate & con-
tinentia Centones 4. Et de diuersis ar-
gumentis Ecclesiasticis lib. ḡ. m̄. F.

✕ Thaddei Pelosioti contra Iudæos lib.
ḡ. m̄. F.

✕ Thatiani oratio ad Græcos ḡ. m̄. F.

Theobaldus Thamerus librum cōposuit
an & quatenus Christiano in persecu-
tione sit fugiendum.

✕ Thecaræ Hymni, Orationes, Odæ.
ḡ. m̄. F.

✕ Theo-

✕ Theodoretī Therapeutice morborum Græcorum. Interpretatio in 12. prophetas. Collectanea Sāctorum patrū, quod Spiritus Sanctus solūm ex patre procedit ḡ. m̄.

✕ Theodoretus Cyri Episcopus scripsit Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. impr. Stephanus Græcè, alii eius libri afferuntur in Italia. Theodoretī Cyrēsis Episcopi Comment. in 14. Pauli Epist. Gentiano Herueto. interpr. Torrētīnus impr. Florentiæ an. 1552.

Theodorus Antiochenę Ecclesię Presbyter scripsit, de incarnatione Domini lib. 15. ḡ. m̄.

Theodori Episcopi Charran de Orthodoxa fide lib. ḡ. m̄.

✕ Theodorus Bibliander composuit de ratione temporū, de Christiana doctrina, fide & operibus. Eiusdem in sermonem quem Dominus habuit in Monte Sinai lib. impr. Oporinus Basileæ anno 1553. & librum de legitima vindicatione Christianismi veri & sempiterni: anno 1552. Conciliū Sacrosanctum, quomodo oporteat succurrere pereūti Christiano populo per reformationem Ecclesiæ.

Theodori Diaconi lib. sacrorum Canonũ
tum Apostolorum, tum Synodorum.

ḡ. m̄.

Cyri Theodori Prodromi interpretatio
in Canones festorum ḡ. m̄.

✕ Theodori Prochodromi opera Theolo
gica, vt de festo Domini. Quòd nos cau
sa sumus peccati, nō natura. De esu car
nium. De vitæ termino ḡ. m̄. F.

✕ Theodori Metochiti de Deo, Virgine
Maria disticha heroica. De spiritu S.
contra Planudem ḡ. m̄. F.

✕ Theodori Abōcarę lib. Quòd sit Deus
etiam argumēto & Syllogismo. De lu
cta Christi cū Diabolo. Quòd panis be
nedictus sit corpus Christi. Quòd Chri
stus Deus sit, etiāsi factus sit homo. Cō
tra Nestorianos Dialogi ḡ. m̄. F.

✕ S. Theodori Tyronei Martyrium, lib.
ḡ. m̄. F.

✕ Theodori Moneremite sermo in Euā
gelium ḡ. m̄. F.

Theophanis, Episcopi Nicęæ, contra Iu
dæos ad Nicaenses, & alia opuscula.

ḡ. m̄.

✕ Theophili Alexādrini lib. paschales 4.
D. Hieronymo interpret. & lib. de vir

hurco-

humana ḡ. m̄. F.

Theophili Antiochenfis Episcopi contra gentes lib. ḡ. m̄.

Theophylacti Archiepiscopi Bulgarię in 4. Euāgelia Græcè & Latinè Commēt. impr. sunt, interpre. Christophoro Porfenna. Interpretationes in Diui Pauli Epistol. vertit Lonicerus. Commētaria verò in Oseam & Micheam Gręca, nō ita multis annis allata ex Patmo insula nondum ædita sunt.

Thomas de Aquino scripsit in 4. Euangelia. in 5. D. Pauli Epist. in Apocalypsim & alia impr.

Thomas de Vio Caietanus Cardinalis aduersus Lutheranos.

Timothæi Episcopi ad Catholicā Ecclesiam lib. 4.

Titu Bostrini in Lucam expositio. ḡ. m̄.

Tobias à Iudæis Cōstantinopolitanis lingua Hebraica suppeditatus impress. est cum versione Munsteri & annotationibus.

Valentini Episcopi statuta Synodalia.

Valentinus Crotoaldus in Genesim.

Victoris Episcopi fidei ratio.

Victorinus Episcopus Pictaviensis scripsit,
in Apocalypsim.

Vigilius Martyr & Episcopus Tridentinus
aduersus Eutychem ceterosque hereticos lib. 5.

Vincentinus Monachus Gallus pro fide
Catholica.

Vrbanus Reginus Germanus scripsit Col-
lationem doctrinae nouae, siue Religio-
nis Romanae, ad veterem Euangelicam,
& apostolicam, De Messia, Contra Mis-
sam, Locos Communes.

Vvernerus de fructu Missae.

Vvolfgāgus Fabricius Capito comment.
in Oseam.

Vvolfgāgus Musculus Commentaria, in
Matthaeum 3. tomis & Comm. in Ioan.
atque in Psalmos,

✕ Xanthopuli *Χωαξόπειρα*, in insignia festa
& menses anni. De Patriarchis Constā-
tinop. ḡ. m. F.

✕ Zachariae Scholastici Episcopi Mity-
lenes disertatio mundum non esse cum
Deo æternum, sed eius opificium esse.
ḡ. m. F.

Zachariae Chrysopolitani Harmonia E-
uangelica.

Zyfti Betulei Symphonia noui Testa-
menti.

Appendix.

- ✕ Collectanea sacrae scripturae quod Sancti nondum regni caelestis potiuntur, nec scelerati commerita poena afficiuntur lib. ḡ. m̄. F. Idem argumentum tractat Marcus Ephesius, Quod & censit Lactantius Firmianus.
- ✕ Expositiones Psalmorum ex diuersis authoribus ḡ. m̄. F.
- ✕ Hymnus Eucharisticus post sacrae communionem ḡ. m̄. F.
- ✕ Hymni triadici ḡ. m̄. F.
- ✕ Interpretationes diuersorum authorum in Genesim ḡ. m̄. F.
- ✕ Metaphrastes in quo continentur vitae sanctorum per menses ḡ. m̄. F.
- ✕ Narratio de Iesu Christo ḡ. m̄. F.
- ✕ Narratio explicans historico modo scripturam antiquam ḡ. m̄. F.
- ✕ Narratio Sanctorum Simulachrorum ḡ. m̄. F.
- ✕ Scholia in partem noui testamenti. a. x. m. F.

- ✕ Interpr. in Iob & sapiētiā Salom. ḡ.ḡ.ḡ.
- ✕ Interpretationes in Esaiam ex diuersis authoribus ḡ.ḡ.ḡ.F.
- ✕ Sermones diuersi multorum Sancto- rum ḡ.ḡ.ḡ.F.
- ✕ Triodion quod in Græcorum templis decantatur ḡ.ḡ.ḡ.F.
- ✕ Vitæ Sanctorum ḡ.ḡ.ḡ.F.

C A B A L A A D H E R M.

Taffinum.

SEquitur Cabala ars prorsus diuina, & sancta, nisi ab impostoribus, sicuti vsu- uenit cæteris disciplinis omnibus, mira- biliter corrupta fuisset, & cõtaminata. De qua, quoniam hoc loco charta vacat, nec quid res ipsa sit, ita à multis intelligitur, ideo operæpretium me facturum existi- maui, si in Tyronum & nouitiorum gra- tiam, obiter rem paucis attigero. Omnis itaque Hebræorum disciplina tribus po- tissimū cõtinetur, Philosophia, scriptura, ac reuelatiõibus mysticis. Ex Philosophia primū, ac natura, totiúsque mūdi, & vni- uersitatis cõpage, structura, ordine, forma motu, causis, & operationibus conati sunt suā fidē, institutū, religionēq; redditis ra- tionib-

tionibus, & assignatis causis astruere: Cuius hæresis, & opinionis Moses Ægyptius ante quadrîgêtos annos p̄iceps authorq; extitisse memoratur. Scriptura verò apud ipsos, triplex est: Bibliorum, Thalmud, & Medras: Biblia autē sunt 24. li. cōscripti à Prophetis. Thalmud est Rhabenorū, siue Rabinorū & doctorū legis explanatio p̄ceptorū legaliū, quæ 613. sunt in lege Moisaica: Medras vero. i. inuestigatio & inquisitio, genus est librorū quo quisque animi sensa explicat & anquirat, quæ scripturæ interpretationi (quoad eius fieri potest) maximè cōsentanea esse videātur: Hæc sensus indagatiōnē & inquisitionē etiam vocant Hagada. i. denūciationē & significationē: atq; ea maximè Meschiā, siue Mesiā vēturū falsò sibi persuadēt: quā sectā nouissimè cōmentisunt, vt Christianos refutarēt: Ex Mysticis autē est Cabala antiquiss. & prorsus diuina, vtpote quæ Mosē, imò verò Deū ipsum originis suæ authorem referat & appellet. Nā cum in mōte Synai, Deus Opt. Max. duplicem legē, nimirum literæ, & spiritus Mosi tradidisset, legem literæ, scripturæ monimētis mādari voluit, libris asseruari, & populo cōmuniter euulgari:

legem vero Spiritus, in Mandatis dedit Dominus, vt apud se retineret, solisq; sapientibus priuatim communicaret, qui septuaginta erāt seniores populi, eam acceptam disciplinam vicissim iidem aliis, atq; illi posteris de manu in manū, quòd dicitur, sermone tradiderūt, cum eam fas non esset literis perscribere: Inde Cabalæ sibi nomen inuenit, quòd per manus tradita, ac veluti hæreditaria successione recepta, non scriptis, sed viua voce, & institutione ad posteritatem emanasset. Cabalam enim Hebraicè, receptionem Latinè interpretantur. At vero nunc ita esse, id est, scientiam hæc Mosi à Domino traditam fuisse, luculentissima testimonia ex sacris literis proferri possunt, cū alia multa quidem, tum hoc præcipuè quod est apud prophetam Esdram, vbi Dominus de Mose hunc in modum loquitur. Enarraui (inquit) ei mirabilia multa, & ostēdi tēporū secreta, & finē: præcepi ei alia palā faceret, alia apud se haberet in arcanis. Porro & magnus Origenes interpretās illud Apostoli, Primū quidē quia credita sunt illis eloquia Dei, attēdere oportet (inquit) literas non dixisse commissas, & concre-

ditas esse, sed eloquia Dei. Quo facilè est assequi, aliud quiddam esse præter scriptã legem, quòd Iudæis concessum sit, idque eloquia Dei à Paulo nuncupari, quæ planè nihil aliud esse dixeris quàm Cabalam ipsam, id est certissimam legis interpretationem ex ore diuino susceptam. Idcirco seniores nimirũ septuaginta, quibus hæc mysteria, & oracula cõmittebantur, Idem Origenes *Ἰωαννουσὸς βουλοῦντὰς*, vocat. Diximus itaque vnde Cabala duxerit initia, & cur ita sit appellata: Præterea, scriptam non fuisse, sed tantum ab his cognitam, quorum vt loquitur scriptura sacra, deus aurem reuulsisset: Nunc verò de nouo, & recenti Cabalæ genere aliquid in mediũ adducturi, affirmabimus id primùm, cui vtroque pollice fauebunt (ni fallor) & assentientur iudicii sanioris homines: hæc retetem quæ scripta in manibus habetur, ab illa natia, & germana superiore, plusquam *δὲς Ἀγὰ πασῶν*, discordare, atque discrepare. Cum illa pia, religiosa, ac Sacrosancta extiterit, diuinitus & sanè quàm paucis concessa, ac tradita: ista verò quàm passim venalem promulgant, ac proclamant Khabeni isti (si diis placet) Hacca-

dos, nihil aliud fit quã superstitiosa, prodigiosa, & nugatoria futilitas, ostentatio, merum denique impostorũ commẽtum, atque fallacia. Et mihi nunc huiuscemodi nugatores Cabalista opinosissimi, & arrogantissimi homines, inòd potius homunciones scœnei, mihi (inquã) vel magis vt faciunt omnibus, impudenter se vèdient, omnia mordicus diuina, & inaccessa mysteria tenere, nihil nescire denique.

Quæso simiorum vanitatem & ineptias attẽdite, arrogant id sibi, prædicant atque gloriantur, scilicet, omnia penitiora scripturæ sensa posse eruere, ac scrutari: futura præsciscere, & multò antequam euẽtura sint denunciare, atque prædicere. Sed qua arte potissimùm? Nempe ex sua Combinandi arte, & Alphabetaria reuolutione mirifica, versiculorum sacrae scripturæ numeros, sillabas, apices, singulãque momenta minima aucupando & insectando non tantùm curiosè, sed etiam superstitiosè plus fatis. Eamobrem sibi placent, eamobrem supra conditionem humanam se solos sapere, & diuina nosse arbitrantur. Itaque magna Dei nominè passim detonant ac fulminant. Ea est il

lis fusa & longè tracta nugandi materia, qua se nunquam expediunt. Quasi verò ignoretur, ea nomina tralatitia esse nec propria, ita conantur hominibus fucum facere, atque eos ludificari: quod profectò nunquam facerent, ne si ad punctum temporis quidem reputassent, minus quàm credant cæteros ignorare, Dei naturam, siue essentiam, siue οὐσίαν Græcè vocitemus, eius propriam appellationem esse: Et contra appellationem naturam, atque potestatem: cuius proprietas, ac vis planè nesciatur, quàm si teneremus, haud assequor ipse, quid nos quominus immortales futuri simus, & quasi Dii continuò, impediat, aut retardet. Sed ea incognita prorsus, & non intellecta nobis est: nòsque mortales sumus. Ex quo effici necesse est Stoicorum breue, & consuetarium. Cum Dei vis, virtúsque ignoretur, ex qua eum appellari propriè conueniat, nomen eius itidem nesciri, atque ignorari. Ea autem nomina quæ ipsi attribuuntur, sumuntur ex eius effectis, atque operationibus: qualia sunt, Iheuhe quod nefas

esse putant & sacrum facinus enunciare: in eiusque vicem substituunt Adonai, ab Adon, id est Dominus, vel Ioua, vnde Iouis nomen defluxisse volunt, vel vt alii Iehoua, id est Deus generās, aut Ehie qui fui, sum, & ero: Et alia nomina id genus, quæ vocant *παραρρήματα*, vel quatuor literarum, nempe apud Hebræos, quibus consimiles sunt cæteræ Dei confictæ appellatiōes, vt El, Eloha, vnde est Elohim, id est Dei, quo Mysterium Trinitatis significari autumant: Ideoque cū singulari verbo coniungi, vt illud initio Geneseos, in principio creauit Elohim, id est dīi. sunt & nomina Dei consimiliter, *μακώμ*, Dei nomen, & locum innuēs, quòd Deus immortalis vbique terrarum versetur, nec circumscriptione loci, & ambitu concludatur, & Dayyā, id est iudex, CzadiK, hoc est iustus, Sadai qui sibi satis est: nulliusq; adminiculo cum egeat, omnibus tamen abundè affluentiusque suppeditet, & largiatur. Hamum etiam, quòd gratiosum, & pium significat. Ac ne longior sim, tales sunt cæteræ aliæ nomenclaturæ, & appellationes septuaginta duæ, quas se eliciuisse insolenter iactitant ex tribus Exodi versiculis

versiculis cap. 13. præter etiam alia nomina composita 12. & 42. literarum: 12. id est Semhammephoras, quod 12. literarum est apud Hebræos, voluntque nomē esse expositum, quo significetur Pater, filius, & Spiritus Sanctus, quod ita Hebraicē effertur. Ab Ben veruah haccados, cuius est expositio Pater, filius, Spiritus Sāctus, unde conflatur nomen admirabile 42. literarum quod significet Patrem Deum, filium Deum, Spiritum Sanctum Deū, trinitatem in vnitatem, atque vnitatem in trinitate. Quæ omnia apud Hebræos 42. duabus literis comprehenduntur. Ea sunt speciosa nomina, de quorum inuentione tanto opere se se iactant. At quanto nos simplicius, & breuius, & tanto fortasse religiosius, qui credimus cū Græcis πατὴρ, καὶ λόγος, καὶ ἅγιον πνεῦμα, hoc est, ἓνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι: Quod illi tot inuolucris & integumētis nominum, plusquàm sesquipedalium, atque tot, tam multisque interpretationibus cōmodū assequuntur. Nam quod attinet ad nomina tetagrammata, siue quatuor elementorum, anne hoc sibi solis Hebræi, & Rhabbeni isti veluti peculiare, ac planè

suum asciscunt, atque arrogant? Equidem
 hoc ipsum quod plurimi ducunt, cum cæ-
 teris nationibus illis commune iuxta cõ-
 perio. Siquidem Latinis Deus etiam te-
 tragrammaton est, Græcis perinde *Θεός*:
 Ægyptiis teste Eusebio in præparat. Euā-
 gelicæ libris *Θύς*, & *Θεύς*, & per contra-
 ctionem. *Θύς*: Thyrrhenis siue Hetruscis
 fuit Esar, Persis Syre: Magis Orse: Arabi-
 bus Alla: Mahometis, & Turcis Andi: Af-
 syriis Adad: vt vulgares linguas omittam
 quippe Italis est Idio, tametsi Orthogra-
 phiæ causa geminent delta. Hispanis est
 Dios. Galli nostri similiter deum, Dieu
 nomināt, Angli, Scoti, Germani perçquē
 good, vel gott vocant, id est goud, vel gut
 bonum, licet per contractionem dicant
 good, vel gode. Et ne longum faciam, cæ-
 tera Dei nomina sunt huiusmodi apud
 alias nationes, quod minus vt nouum, ita
 & admirandum. Quare si solùm his nitā-
 tur Cabalistsæ, apertè videre est quàm fu-
 tilibus & friuolis argumentis persuasi, si-
 bi tantam sapientiæ prærogatiuam assu-
 mant, & diuinitatis priuilegium emen-
 tiantur. Quæ mihi dicenda putauī fortas-
 se verbosius, sed tamen ne adolescentes
 nondum

nondum his cęremoniis initiati, aut nugis potiùs religionis velo adūbratis, necdum nomen professi, cupidius, & ambitiosius id facere laborarent. Qui si Cabalę studio capiātur, admoniti meminerint non ex scriptis huiuscemodi, vel potius offuciis comparandam esse, verùm pietate, numinis obseruantia, veneratione, cultúque assiduo, vitę sanctimonia, reęta & syncera animi conscientia, innocentia, ac probitate, simplicitate, atq; imprimis summa & perpetua in Deum fiducia. Quibus artibus ille ipse homini vel maximè conciliatur, gratiam suam, & sapientię affluentiam elargitur, atque gratuitò suppeditat. Cuius maiestati æternę, & incomprehensę diuinitatis amplitudini reuerētia omnis, laus, & honor in infinita, atque interminata secula.

CABALA.

Rabbi Abraham, filius Leui de Cabala, librum scripsit Hebraicè qui impress. est.

Ioannes Reuchlin aliàs Capnion, de arte Cabalística lib. 3.

Ioannes Hocstrattus Cabalæ destructionem.

Ioannes Picus Mirandula Cabalæ conclusiones.

Raymundus Lullius lib. de arte Cabalistica.

MEDICINA. N. AV-
gelello.

A Bhomeron Abynzoar scripsit opus de re medica lib. 3.

✕ Actuarii Ioannis Zachariæ filii scripta Græcè extant in bibliothecis Italiæ, in Regia Biblioth. asservantur Epitomes Medicinæ lib. 6. De Efficacia animalis Spiritus. De Diætâ. g. m. F. Eius lib. 7. de Vrinis impress. sunt Latinè ex versione Leonis Nolani, & de cõpositione medicamentorum interpr. Ruellio.

Ægidius Monachus Græcus scripsit carmine de pulsibus librū vnum. de Vrinis lib. 1. impr. sunt, cū expositione Gētilis de fuligineo.

Ælii Promoti in Medicina liber extat. g. m.

Æmilius Macer de herbis.

✕ Aëtius de curandi arte ḡ. interpr. Cornario, & Montano lib. 16. In Biblioth. R. liber est. De oculorum affectibus, lib. de intemperie & infirmitate hepatis, & de his qui sanguinem ex ventre reuomunt ḡ. m. F.

Albucasius scripsit de Chirurgia.

Alexander Benedictus Practicam.

Alexander Traianus Aphorismos.

✕ Alexāder medicus de cognitione pulsuum in febricitantibus lib. ḡ. m. F.

✕ Alexander Trallianus cōcinnauit Praxim quæ ḡ. à Stephano impress. Parisiis versa ab Albano Torino, & secundo à Ioan. Guintero. In eamq; Iacobus Goupylus medicus, Regius Professor annotationes edidit, polliceturque suam versionem.

Alfonfus Ferrus de ligno sancto.

Aloisii Mundellæ epistolæ medicæ.

Andræ Vesalii absolutissima Anatomia.

Angeli Boliogniui Chirurgia.

Antonii Beniuenii lib. de abditiis curationibus.

✕ Antonius Busennius Bredanus Commentarios scripsit in Galenum de inæ-

- quali intemperie impres. Antwerp. Richardus an. 1553.
- Antonius Gazius de sanitate tuenda.
- Antonii Gayneri praxis.
- Antonii Lud. Olyfsiponensis de occultis proprietatibus lib. 5.
- Antonii Musæ Commen. in Aphorismos Hippocratis. Examen simpliciū & alia.
- ✕ Archigenis & Philagrii de renum calculo fragmentum ḡ. m. F.
- ✕ Aretæi Cappadocis lib. de acutis passionibus & earum curatione 8. impr. Græcè & Latinè interprete Crasso Parisiis Tornebus an. 1554.
- Arnoldi de Villa noua opera.
- Augustinus Nyphus, de diebus Criticis.
- Auicennæ Arabis Hispalensis Machometistæ opera medica. Et lib. de Vrinis ḡ. ab Actuario bis scriptus & alia multa eiusdem ḡ. m. F.
- ✕ Aurelii Cornelii Celsi de re medica libri 8. cum Commentariis Guilielmi Panthini.
- Bartholomæus Argenterius opus medicū composuit, in quo sepe Galenum carpit quod & facit Trallianus.

- Bernardi Gordonii Practica.
- Bertrutii Methodus cognoscendorū morborum.
- Blasii Astarrii ad Aben Hali lib. de curandis febris.
- ✕ Brudus Lusitanus scripsit ad Anglos de victus ratione, lib. impr. Venetiis an. 1544.
- C. Plinius Secundus, præter Historiam naturalem libros 5. reliquit de re medica.
- ✕ Charitonis lib. de Trochiscis & pulueribus ḡ. m. F.
- ✕ Callisti Monachi Mercurii filii lib. de Pulsibus, de antidotis, de emplastris, de Oleis ḡ. m. F.
- Canamufali de Baldach philosophi liber de curandis oculorum affectibus.
- Caroli Figuli liber de herbis.
- Cassii Iatrosophistæ problemata medica ḡ. vertit Iunius.
- ✕ Claudii Galeni Pergamēsis qui sub M. Aurelio Imper. & eius filio Commodo vixit opera ḡ. 5. tomis impr. sunt, & Lat. ex multorū versione lib. de ossibus Græcè impr. Parisiis à Vascosano: habentur etiam in bibliotheca Regia Epistola ad

Theutram de radio, brachio & cubito. Dubitationes & solutiones rerū quarundam necessariorum. Dictionarium interpretationis herbarum. Et particula lib. qui inscribitur medicus.

Constantinus Monachus Latinè multa composuit Galeni præcipuè imitatione.

Cornelii à Baesdorp omnis Medicinæ Methodus.

Demophili lib. de curatione ḡ. m̄.

✕ Dionysii Simplicis lib. de compositione humana, & alia opuscula ḡ. m̄. F.

✕ Dioscoridis & Stephani Athenæi liber, de medicamentorum emperia. ḡ. m̄. F.

✕ Dionysii Fontanoni Mompeffulensis de morborū curatione lib. 4. impr. Lugduni per Frellonium an. 1550.

Elluchasem Tacuini liber, de sanitate tuenda.

Epicharmi de natura rerum & medicina lib. ḡ. m̄.

✕ Erotiani lib. de dictionibus Hippocratis ḡ. m̄. F.

Eucharrii liber de partibus hominis & obstetricatu.

